DE S. SPIRITUS ADUENTU. ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO AD...

Francesco Caracciolo, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

149.

INNOCENTIO XI.

PONT. MAX.

ABB. FRANCISCVS CARACCIOLVS

FELICITATEM.

INcendium diuini Spiritus ſalutare in cuius gremio, aut digniùs recipiatur, quàm Pontificis, aut feliciùs æſtuet, quàm Innocentij. Hinc Orationem hanc meam tuo nomine conſecrare (Beatiſſime Pater) non tam arbitrij

obſequium, quàm neceſſitatis fuit; nec in illius Patronum eligeris magis, quàm poſceris: prorſus vt de igne illo diuino terras feliciter inundante cum dicerem, non tam coram te dicere, quàm de te, perſuaſerim mihi. Occupaſſe olim terras flammas illas Amoris; dum te Principe prima ſui virtute valeſcunt, faciliùs credimus. Ita nihil validiùs ad Fidem, cui mancipamur, aut aperiendam ignaris, aut nobis roborandam, quàm Pontifex pius. Praua errorum ſecuti, vbi Fidei arduitate perfidiam excuſauerint, vt intelligant ſe poſſe, quod nolunt, ſufficiet oſtendere parem omnibus argumentis, vitam Innocentij: quem faſtigio rerum ſemel impoſitum, terras beare diutiùs, ſerò linquere, populos tædebit nunquam, ſemper inferos pænitebit.

ORA-

ORATIO.

CVm, adacto in patibulum Deo, flammas fulminum expectaret Genus humanum, Beatiſſime Pater; vltionem habuit amantiſſimo Numini conſentaneam, flammas Amoris. Cenſor ille Morum nihil pulchriùs nouerit Principe impunè læſo; ſpecioſiùs quiddam miramur hodiè in ſupremo Principum vlciſcente ſe beneficijs. At factus ille repentè de Cœlo ſonus, illa Spiritus vehementia, & ſuccuſſa Cœnaculi moles quandam adhuc terroris ſpeciem habent: imò nihil ad Amorem accomodatiùs apparatu illo pompæ terribilis: porrò tum dignitati diuinæ, tum noſtræ vtilitati congruentiſſimum accidiſſe, facilè oſtendam.

151

Non ità fauſtè res humanæ fluebant, vt à Deo, niſi lœſo amaremur. Quid autèm turbo illæ naturæ tumultuantis intendit, niſi vt intelligeremus ab eo nos amari, qui tàm facilè iniurias ſuas poſſet vlciſci? Cœlum locupletare nos parat, dum blandè minatur, vt ſpecie illa terroris meminerimus, quid mereremur; ſecuturo Amoris illapſu noſceremus, quàm placabili Principi ſubderemur, pluris æſtimaturi Amoris beneficia, quæ ſciremus à læſo Numine proficiſci. Quota enim noſtræ gloriæ pars; intelligere, amari nos etiam ingratos? Summus ille, ac veluti in faſtigio Amor eſt, qui tùm maximè fauet, cum te oſtenderit immerentem; ſicut atrociùs iraſcitur, qui pœnas ab ingrato dum exigit, numerat beneficia. Supremam Amori ſuo manum Deus impoſuit, cum illo fragore nos fœliciter perculit. Profectò dimidium beneficij perdidiſſemus, ſi non ita nos terruiſſet.

Nec minus in argumentum dignitatis diuinæ commotionem illam exortam crediderim, vt pateret rerum ordinem vniuerſum egreſſui Amantis Numinis ancillari. An quià, perfidià multorum, expediebat intelligi, Amorem, qui deſcenderet, fortem eſſe, & armatum?

Ta-

Tamen obſequia potiùs putem Elementorum, quæ ſi murmura, nimbosquè miſcuerint; ſcias aliter obſequi Elementa non poſſe: Efferueſcunt, cum fauent: cum famulantur, iraſci neceſſe eſt. Haud ſecus primo Orbis exortu, cum ſuper aquas incederet idem hic Spiritus, in vndarum lubrico, fremituque experiebatur, quæ mox in igne patraret. Quamuis nec omninò citrà iucunditatem ille tumultus fuit. Dulciora ſæpè gaudia aſperitatis imagine commendantur, & quædam in ipſo terrore voluptas eſt.

Poſtremò ſonoro illo famulatu vtilitati noſtræ benignè conſultum, facilè pateat. Profundiùs enim torpueramus, quàm vt excitari ſibilo tenuis auræ poſſemus, vt veterno illo læthali extricaremur, ſtrepere Elementa omnia oportebat; nec afflari ſat erat; excuti debebamus. Porrò quis vlteriùs ad Cæli minas, ac terrores inutiliter palleat; quos Amor diuinus comitatu ſuo, aut amabiles reddidit, aut conſumpſit? Ita, vt nos ſemper amaret, ſemel ſimulauit iraſci: Debuimus aliquando formidare vindictam, vt pax noſtra perennaret. Pars fælicitatis eſt, aliquantulum miſereſcere.

15.2

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Io; de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE